



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita P. Balthassaris Alvarez, Societatis Iesv Religiosi

Puente, Luis de la

Coloniae Agrippinae, 1616

Cap. XXX. Notabilia exempla duorum Fratrum studiosorum valde
feruentium, Ioannis Ortunij & Francisci Cordubensis

urn:nbn:de:hbz:466:1-43347

omnes contendebant sancta quadam æmulatione alter alterum vincere, allatis rationibus à singulis, ob quas alijs essent præferendi. Et cum tot fuissent vocati, quinque tamen soli ad eam missionem sunt electi, alijs patientiam habere iussis; facta tamen spe quòd oportuniori occasione essent exaudiendi: & sic omnes quieti & tranquilli manserunt, tanquam Obedientiæ filij: & in feruore spiritus, vt antea, progressi sunt.

CAPVT XXX.

NOTABILIA EXEMPLA
duorum Fratrum studiosorum valde feruentium, Ioannis Ortunij, &
Francisci Cordubensis.



VI insigniores fuerunt in feruore spiritus ex P. Balthassaris exemplo & auxilio fuerunt duo Fratres, Philosophiæ studiosi: qui recens ex Tyrocinio venerant, simul cum suo Magistro Oedio, qui fuerat Collegialis in maiori Collegio Conchensi, & Philosophiæ in illa Vniuersitate Professor, qui Anno 1571. fuerat Societatem ingressus simul ferè cum omnibus suis discipulis: qui etsi omnes singularis erant virtutis, illorum tamen duo singulari ædificatione rotum Collegium facilè superarunt: quorum heroicas virtutes perspectas habuit prædictus

Y

dictus

dictus Pater Oiedius eorum Magister, quas mihi aliquoties retulit, & postea etiam scripto delatae & visae sunt mihi dignae quae huic historiae infererentur, non solum pro honore Patris Balthassar, qui fuit eorum Magister spiritualis; sed etiam ut exemplorum aded illustrium memoriam id efficiat nunc in religiosis studiosis, quod faciebat dum illi viuerent in eis, qui illos imituebantur.

Frater Ioannes Ortunius.

PRIMUM locum demus Ioanni Ortunio de quo ego ipse Patrem Balthassarem in quadam exhortatione audiui dicentem se nunquam legisse in vitis Patrum Heremicorum res grandiores, quam in hoc Fratre vidisset: cum Metinae, ubi fuit eius Tyrocinij Magister; tum Salmanticae, ubi eius fuit Rector. Interis operam dantis. Ingressus est Societatem cum esset viginti annorum, cum multis alijs anno septuagesimo primo, inter quos raro sanctitatis exemplo eminebat toto tempore Tyrocinij: sed multo adhuc amplius breui illo tempore, quo superuixit cum Philosophiae operam daret Salmanticae. Erat praecleari ingenij, magnamque curam in suis studijs ponebat; ita tamen, ut nec punctum remitteret de feruore virtutum: ipsolum opere facile ostendebat, se multo pluris facere virtutes, quam Eruditionem. Nominatim autem excelluit in Obedientia, & Mortificatione, tam interna, quam externa, cum quadam modestia

destia, & aded exacta ac immutabili morum compositione, vt manifestum faceret testimonium admirandi sui quieti, compositi, & valde mortificati spiritus. Erat tunc Collegij Subminister Pater Ioannes Rodrigius, vir sanctus, valde taciturnus, seuerus, pœnitens, & summè obediens in omnibus, quæ Pater Rector illi committeret, vt benè suo munere fungeretur. Commiserat ergo illi, vt Fratres studiosos tam Theologos, quàm Philosophos; (& hos maximè, quia erant quasi Nouitij) benè exercet in mortificationibus, & abiectis Officijs. Bonus ergo Subminister ex se aliàs ad huiusmodi exercitia valde propensus, accepto hoc Obedientiæ stimulo, valde diligenter ei satisfacere studuit. quare cùm omnes in varijs occasionibus, tum multo ampliùs Ioannem Ortunium (de quo maiorem habebat opinionem) extraordinarijs exercebat probationibus. Expectabat ad portam scholæ, donec lectio absolueretur; & inde statim Fratrem prædictum, & Franciscum Cordubensem, (de quo paulò post dicemus) vocatos, mittebat ad culinam, vt ollas & scutellas lauarent, & alias similes occupationes obirent: quæ quotidie pro illis seruabantur: ad quas multò lætiori vultu, quàm ad audiendas lectiones accedebant; nullis querelis, aut tergiuersionibus; ita vt nec insinuarent quidem, vt sibi liceret recens auditam lectionem reperere. Et quamuis Professor hoc sentiebat, & pro suis discipulis agebat, ne tali tempore occuparetur: illi tamen nihil aliud curabant, nisi vt obedirent, seque magna animi quiete & lætitia mortificarent.

IOANNES Ortunius adeò excelluit in hoc
 ut eius Obedientia videretur prodigiosa : adeò
 erat sincera, ad nutum, exacta, ac perfecta : ut
 recensendis Exemplis apparebit. Quodam
 spere in Hyeme, cum esset ingens tempestas ve-
 torum, & niuium, Pater Ioannes Rodrigus
 crepusculo vespertino offendit Ioannē Ortunium
 in quodam transitu versus parvam Collegij
 am; dixitque illi, Ioannes, expecta hic, donec ego
 reuertar: habeo enim aliquid tibi iniungendum.
 Transiit Pater, sed ob alias occupationes oblitus
 est, quid Fratri illi dixisset. At bonus Ortunius,
 atque si fuisset saxum immobile, nec in
 punctum inde se mouit, etiamsi ingenti frigore
 & vento ac niuibus grauius offenderetur.
 nona erat iam hora noctis, & cum nec ad primum
 mam, nec ad secundam mensam venisset: ad-
 uertit hoc vnus ex condiscipulis, retulitque
 suo Magistro, adhibita est diligentia per totam
 domum, ut scirent, ubi esset: & non inueni-
 interrogarunt etiam prædictum Patrem Ioan-
 nem Rodrigum, an fortè aliquid de illo sciret:
 qui, oblitus quid Ortunio dixisset, respondit:
 se nihil de eo scire. Redeunt iterum, ut in-
 lum quærant: & tandem valde tardè in eodem
 transitu illum inuenerunt, frigore valde afflic-
 tum, pedibus niue coopertis; quem cum Magister
 reprehenderet, & quæreret quid tempore & hora
 ibi faceret? magna pace & tranquillitate
 respondit: Patrem Ioannem Rodrigum iussisse
 illum ibi expectare, donec reuerteretur; &
 quia necdum reuersus erat: ipsi expectasset.
 Obstupuerunt omnes ad exactam adeò

adeò Obedientiam : & , omni dubio procul , nisi inuentus fuisset , mansisset vsq; mane cum magna animi sui lætitia.

IN area eiusdem Collegij erant tunc quidam lecti cum floribus , distributi à Patre Ministro inter studiosos , vt vnusquisque in suo tres aquæ situlas quotidie spargeret : quo flores (quia erat æstas) recentes conseruarentur . Quadam igitur hebdomada cum multum pluisset , nihilominus Ioannes Ortunius quotidie in designato sibi lecto tres aquæ situlas aspergebat , in conspectu multorum adstantium , monebat illum eius Magister , eò quòd in tantis pluuijs ipse adhuc lectum illum aspergeret : cui ille magna cum modestia & humilitate respondit : Pater iussus sum tres situlas aquæ quotidie hic spargere ; nec dictum fuit ; vt si placeret , abstinerem . Admiratus Pater sanctam sui discipuli sinceritatem in obediendo cœcè , tacuit .

SED multò adhuc magis idem Pater obstupuit raram eius obedientiam in alia occasione . Audiebat cum nostris studiosis Fratribus Philosophiam Sacerdos quidam magnæ virtutis & exempli ; sed valde rudis & exiguæ adeò memoriæ , vt lectio , quæ per vnâ aurem ingrediebatur , per alteram exiret . Commisit Ortunio Professor , vt quotidie finita lectione , eam cum hoc Sacerdote repeteret ; & quantum posset , iuuaret , vt eam caperet : fecit hoc Frater extraordinaria cura ac diligentia , perseverantia , ac amore , respondens illi ad omnia interrogata , quancumque interrogaret , cum incredibili charitate , & nullo vnquam

quam impatientiæ, aut tædij signo edito, etiam si apertè satis aduerteret: laborem suum esse inutilem; & absque vlla spe, quòd ille aliquid profecturus. Et cum Professor Omnium interrogaret: quomodo sibi cum locis succederet? solùm respondebat: ille facit, quod potest. Omnes mirabantur tantam eius tolerantiam: nam alij condiscipuli tertio die defatigabantur repetitione lectionis cum eo, sed Ordinarius constans erat & infatigabilis in ijs, quibus cere iubebatur.

SE D non præteribo, quod ei tunc euenit, quod ostendit, quanti ipse faceret ac veneraretur, quod quid vel umbram haberet Obedientiæ. Sedebat in initio renouationis studiorum ad sanctum Iacuum, super quosdam lapides, vt suam lectionem repeterent: quos videns Superior, dixit *lepide in mensibus erratis, super lapidem nõ sedeat*: illi qui adeò Obedientiæ studebat, verba Superioris ita seriò accepit, vt ex tunc, vsque ad finem Aprilis, etiam si socius super lapidem sederet, ipse potius staret: cum autem mensis Maius cepit, ipse quoque sedebat: & cum aliqui hoc cognouerent: mysterium ab eo exquisierunt: quibus sincerimè respondit: Patrem Rectorem dixisse, quod in mensibus, quorum nomina habent R. super lapidem sederent; ac propterea se vsque ad initium Maij non sedisse.

HANC eandem veritatem, & exactam rationem tenebat in omnibus rebus Obedientiæ, etiam minimis: sæpius enim euenit scribenti, vel ordinaria campana, vel nomine Superioris ad aliquid aliud vocaretur: & statim ingredere

cui id licebat, chartamque videns, in qua ille scribebat, inuenit inchoatam literam, nec absolutam, vt celeriter, & sine mora, iuxta regulam iret, quò vocaretur. Hinc etiam ratio illa orta est, adeò exactè faciendi examen particulare de vno solo defectu pro more Societatis, obseruatis omnibus eius documentis vsque ad minimum, adnotandi & conferendi defectus vnus diei cum altero; quod obseruauit etiam in extrema ægritudine, vsque ad diem præcedentem ipsam mortem. semper enim habuit libellum, in quo eos notabat, absconditum, ne quis illum videret: in quo voluit P. nostrum S. Ignatiũ imitari, de quo idem scribitur. valde. n. magno honori comodoq; sibi ducebat, quod vestigia sequeretur S. Fundatoris, què D. N. tanquã Ducem ipsi dedisset.

QVID verò dicemus de ijs, quæ ille. in Extremo suo morbo egit, ac perpessus est? habuit. n. occultũ quoddam vlcus cum ingenti cruciatu, quod prohibebat ipsũ sedere quod per dies aliquot occultauit: tum quòd non vereretur tantũ periculũ, atq; reuera erat: tum quòd ob insignem suam honestatem erubesceret Chirurgo illud ostendere. Dolor cogebat illum, aliquod signum edere, vt in schola nõ posset rectus sedere, sed quasi ad vnum latus: quod Professor aduertens, causã requisit: cui ille respõdit, esse quẽdã tuberculum in loco sessionis: tũc Professor replicauit: ppter vnũ tuberculũ sic sedebis? cui Ortunius, optimè dicit, inquit, R. V. quare p tres sequẽtes dies, etiã si graues dolores sentiret, rectè sedit, nullo indicio suos dolores p des: sed malũ adeò creuit, vt iussu Superioris oportuerit medico, & Chirurgo locũ ostẽdere; q videtes,

statim agnouerunt ingens imminere periculum. Et cum malū ad interiora valde penetrasset, horrendas carnificinas, & cruciatus adhibuerunt: ipse verò tanquam saxum quoddam, nec manuum cruciantis refugiebat, nec doloris vllum figum edidit, aut questus est: omnibus stupentibus heroicam adeò illius patiētiā, & animi fortitudinem omnibus ipsum visitantibus lætum semper vultu ostendebat, & placidè ac iucundè respondebat: sum in manibus Dei, faciat mecum iuxta sanctissimam suam voluntatem: nec meuo de manu eius mortem, nec dolor me terret. Tandem peruenit ad extremum suorū laborum; & apertè est illi dictum, nullum superesse remedium. Gausus est S. Frater, mortis suæ audito nuncio. Fecit Confessionem generalem P. Stephano Oiedo Professore suo, copiosas fundēs lacrymas ob sua peccata, quæ tamen adeò erāt leuia, vt Confessarius affirmaret, non solū se non inuenisse vllū peccatum lethale, aut de quo, quod tale fuisset posset dubitari; sed neque peccata venialia grauiā malitiosè, & aduertentē facta: cū tamen in flore esset tunc suæ iuuentutis, vt qui 23. ætatis annum non excederet. Peracta Confessione, magno cordis affectu, & lacrymis P. Rectore petijt, vt iuberet, aliquid sibi importari, super quem posset expirare: nam magno sibi fore solatium, quod posset videre se mori iuxta merita grauissimarum suarū culparū. His & alijs valde inflammatis amoris Dei affectibus, cum reliqua Sacramenta suscepisset, spiritum suum Deo reddidit, cū ea suauitate, & pace, quàm sancta eius vita fuit promerita, quæ verè fuit admirabilis: eius silētium perpetuum, charitas erga omnes ingens

ingens, honestas, & puritas Angelica, etiam dum se indueret & exueret; tanta erat conscientiae eius puritas, ut eius Magister, & alij etiam attentè obseruantes an defectum aut imperfectionem aliquam in eo deprehenderent, nihil tamen tale animaduertere potuerint. Ad solatium autem domesticorum habuit P. Balthassar quadam exhortationem de heroicis sancti huius Fratris virtutibus, de quibus dixit, quod superius insinuauimus; quae non minorem adferebant admirationem, quam quae de sanctis Patribus in Eremito existentibus referuntur. Sed cum Deus noster idem sit semper, nec manus eius sit abbreviata, non adeò mirandum est, quòd & nunc adeò sit liberalis in gratijs ac beneficijs erga feruentes suos seruos, quemadmodum fuit in saeculis praeteritis. Si enim voluerimus ipsius gratiae cooperari, efficiet ipse in omnibus, & per omnes, qui se disposuerint, res verè admirandas, & infinita sua magnitudine & bonitate dignas.

Frater Franciscus Cordubensis.

SO C I V S Ioannis Ortunij in Tyrocinio & in Philosophia fuit Franciscus Cordubensis filius Ducis Cardonae & Segoruae, Marchionis Comarenfis: qui cum fuisset Vniuersitatis Salmanticensis Rector, Deusq; eius cor tetigisset, ingressus est Societatem eodem Anno 71. fuitque Metinae in Tyrocinio sub P. Balthassare, & postea Salmanticae eodem Rectore, vbi Philosophiae ac Theologiae operam dedit. Ab ipsis inijs valde sibi cordi accepit, ad perfectionem anhelare:

Y 5 adeò

adeò autem ipsum eius cor & viscera spiritus Societatis penetrauit, vt sæpe diceret: omnia quaecunque essent in Societate, valde sibi esse accommodata. In primis exercitijs, quæ fecit, tantum solatium & animi tranquillitatem dedit ei Dominus, ex eo quod talem vitæ statum elegisset, vt venienti ad ipsum visitandi causa Magistro Stephano Oiedio, (qui erat Collegialis in Collegio Conchenfi, cum quo arctam aliàs amicitiam colebat) nec potenti sibi persuadere, Franciscum adeò esse contentum, & pacatum se præ se ferebat, Franciscus, vt certum eum redderet, ac deceptionem illam ei retegeret, cum aliàs non soleret iuramentum, etiam cum esset sæcularis, adhibere: tunc tamen adhibuit, dicens: adeò sum contentus, mihi quæ certo persuadeo, hoc vitæ genus mihi maximè expedire ad profectum, & salutem meam: vt quavis nunc mihi offerretur summi Pontificis dignitas, & quidquid mundus mihi dare potest: non tamen hoc genus vitæ pro illis commutarem, sed omnia (vt ait Apostolus) tanquam stercora & scoria arbitrarer; ob quod responsum ipse magister, qui iam à Domino pulsabatur, constituit idem vitæ genus arripere. Exercitijs finitis impositum illi munus est triclinij parandi: tantum quæ eius solatiû & feruor, vt flexis genibus scopis albidis verreret; pavementum oscularetur, & proprijs lacrymis rigaret, permouens omnes aspicientes ad magnam deuotionem. Excelluit valde in abnegatione & mortificatione sui ipsius; & vt magis profunda humilitatis radices iaceret, horrebat quidquid mundus magni facit; tegebat quidquid alicuius honoris

honoris occasionem ipsi adferre posset; offerebat autem se ad omnia, quæ maioris contemptus sui causa esse possent: & prudentia quadam plus quam humana cum hoc faceret ad se humiliandum, & abijciendum: ita rem dissimulabat, ut non aduerteretur ea ipsum facere ex virtute, & studio; sed quasi nesciens, aut non potens aliter facere; ut etiam hoc magis contemneretur: cuius rei notabilia aliqua exempla subiiciemus.

Ut se mortificaret, valde delectabatur in seruire coco, non solum cum esset Nouitius, sed etiam cum studeret. Diebus festis, & consueta remissionis studiorum facultatem petebat eundi ad culinam, ut iuuaret in verrendo, & lauandis rebus culinæ, in præparandis cibis: nam ego, aiebar, multum didici in hoc Officio, cum essem in sæculo; & vellem meam artem hic bene collocare, ut seruis Dei aliquis bonus cibus præpararetur.

CVRAM quoque bestiarum & iumentorum libenter suscipiebat, ut pabulum, & reliqua necessaria illis ministraret, dicens, se etiam esse artis huius peritum. Peruenit tunc temporis Salmanticam Pater quidam in equo valde debili ulcerato, & læso, quem fere decreuerant tanquam inutilem, liberum ad campos dimittere. Sed ipse cum P. Ministri facultate recepit in se equi curam; cuius vulnera ipsemet abluebat, ac diligenter medicabatur: & conduxit pratum quoddam ex altera parte pontis, ut aliquo tempore ibi maneret: petijt facultatem, ut eo deduceretur; & concessa est in eo sensu, quod aliquis domesticus famulus duceret: sed ipse tantam videns se humiliandi oportunitatem, accepit gale-

*Is tunc erat
P. Gundisafus
Abulensis.*

galerum, & pallium detritum assumentisque plenum, & magnam quandam vacerram sub brachio, & funem, & bonam copiam stupæ in manibus, & equum ex capistro: ac deduxit per mediam ciuitatem cum prædictis instrumentis, ita detestis, vt omnes viderent: transiit propter Vniuersitatem eo tempore, quo multi Collegiales ex scholis exhibant; qui omnes subsistebant, aspicientes, & stupentes tantæ nobilitatis virum, & eiusdem Vniuersitatis aliquando Rectorem ita ambulare, cum tanto gaudio & vultu iucundo ac subridente. Hac igitur ratione equum illum duxit ad pratum cum insigni triumpho de vanitate & pompis sæcularibus; & cum maiori gloria, quam Imperatores de suis hostibus per totam Urbem triumphare consueuerant. Superior, cum id intellexit, reprehendit eum, quod eam viam tenuisset: sed vir sanctus, qui singulari arte & gratia suæ humilitatis actiones regere nouerat, valde pacatè illi respondit: mihi Pater, ego, quia valde sum ignauus, cogitavi, quia via rectius, & breuius ad talem locum ire possem; & idè talem elegi.

Sed vterius progressa est eius humilitas, nam cum præstantis esset ingenij, & præclari iudicij, simplicem se tamen faciebat, & studio stulta aliqua dicebat, vt talis haberetur. Cum deberet in Triclinio concionem habere pro more fratrum studiosorum, mouit in ipsa concione dubium circa quoddam punctum vite illius Sancti, de quo erat concio; dixitque: duo exemplaria librorum, qui inscribuntur Flos Sanctorum, in eo puncto dissentire. Et cum re-
spon-

spondendum esset, quid ipse de ea diuersitate sentiret, dixit: ego verò accedo ad exemplar Flos Sanctorum Cæsar-Augustæ excusum, eò quòd characterem habeat crassiore, & melius illum assequar. Et quamuis Auditores subriserint, ipse valde pacatus mansit, quasi iudicio suo vlteriùs progredi non potuisset; sed ita locutum, sicut reuera sentiebat. Et, vt magis ipse in humilitate exercèretur, permisit Deus, vt quidam ex studiosis non intellexerit spiritum, quo seruius hic Dei ducebatur; sed persuadens sibi, eum reuera esse ad eò simplicem, atque præ se ferebat: ideò valde ridebat; eiusque actiones aliàs quasi stultitias irridebat, tribuens illas intellectus hebetudini, & ineptitudini: nec in eius præsentia ab huiusmodi irrisionibus abstinebat. Sed Franciscus verè humilis, commodam hanc in humilitate proficiendi, & simul charitatis exercendæ occasionem non prætermisit; sed studebat diligenter ei indulgere, eumque honore afficere, à quo ita contemnebatur. nam cum ipse mensæ ministraret, curabat optimum ferculum, quod ferebat, ei porrigere, & quando ad quotidianam recreationem se conferebat, aut ad hebdomadariam, cum exeundum erat ad campos, semper Franciscus ad Fratrem illum accedebat, vt alicuius contemptus occasionem captaret. Et cum eius Professor Pater Oiedius id obseruaret, quæsivit ab eo: quid hoc sibi vellet; quòd semper accederet ad illum Fratrem; torque daret indicia singularis cum eo amicitia, non sine nota alicuius

cuius singularitatis. Et cum valde illum vgeret, ut facti sui aliquam rationem redderet; quia sibi persuadebat, id non fieri sine aliquo mysterio: tunc Franciscus respondit, causam eam esse; quod Frater ille, & bene ipsum nosset, & pro meritis tractaret: at R. V. (inquit) & cæteri multum me honorant, quasi ego aliquid essem: quod nullum mihi adfert emolumentum: at iste Frater melius me agnoscens, eo loco me habet, quem ego promereo, irridens me & res meas: & hoc plurimum mea refert, ac propterea cum eo mihi merito agendum, ut soleo. Quo responso obtulit eius Professor profundam sui discipuli humilitatem.

ALIVD quiddam Magistro ac discipulo evenit, in quo etiam suam humilitatem valde manifestavit. Nam cum diebus Dominicis Quadragesimæ ad Pagum quendam, duobus miliaribus Salmantica distantem, concionatum irent, & quidem pedites paulatim ambulantes, Pater ipse concionabatur, Franciscus verò Christianam doctrinam rusticos docebat: coniungebant se autem pueri multi viri & sceminae, & ferè Pagus totus ad vesperam, fecitque extraordinarium in eis fructum; tantumque amorem homines illi in eum conceperunt, ut ad sequentem postea quadragesimam peterent mitti ad se eosdem Patres, ut bene illis facerent, quemadmodum in præcedenti quadragesima fecerant. Post paucas Dominicas ex rumore quorundam studiosorum, qui Salmantica ad eundem Pagum excurrerant, cognoverunt qui esset Frater Franciscus; ac propterea omnes inceperunt magnum ei exhibere honorem, imò aliqui Domi-
num

nū Illustrissimū compellare cōperunt. Grauissimè hoc ille tulit, magnaq; dexteritate conatus est hanc illis opinionē eximere, dicens se fuisse cocū, & agricolam; & quod posset ipsos de Agricultura examinare. Sed cū hoc non sufficeret, ad illam opinionem deponendam; & cessandum ab honore magno ei exhibendo: institit ipse apud suum Professore, ne amplius ad eum locum ipsum duceret; & apud Superiorem, ne mitteretur: quod tandem concessum illi est, ne affligeretur: maiorem enim ipse molestiam sentiebat, quod videret, se in honore haberi; quàm homines sæculares sentiant, quòd honore sibi debito priuentur.

U T autem appareat ex intimo eius corde hæc prodire, referam, quid ei cum quodam Fratre condiscipulo suo euenerit. conuenerant enim inter se, vt mutuo se monerent cum charitate de defectibus, quos alter in altero aduerteret; cumque alter frater ad Franciscum accederet aliquoties, peteretque, vt pactis initis staret; Franciscus se negligentia accusabat, & emendationem promittebat: donec vrgenti ipsum socio, quodam die respondit: occupationem internam, quam de suis defectibus habebat, non permittere, vt alienos obseruaret: & re ipsa erat ita: nam omnes alios honorans, se ipsum solum abiciebat: & lynceos oculos habens ad proprias culpas discernendas, cæcutiebat ad notandas alienas. De nullo vnquam malè loquebatur, sed omnes potius in sua viscera immitere contendebat, seruiens illis, indulgens, & quoad poterat infirmos consolans, promouens quod in se erat charitatem & solitudinem, quæ in Societate seruatur erga eos.

S E D

SED ad eius virtutis exercitationem permisit Deus, deesse ipsi hanc aliorum curam in eius morbis. Discesserat enim ex ciuitate Coenobii Infirmarius, qui in eo munere praestabat: in cuius loco manserat socius eius Nouitius, qui fuerat in saeculo Agricola, literarum rudis, parumque industrius circa curam aegrotorum. Hoc itaque tempore Franciscus incidit in graues tertianas febres: Infirmarius more suo pagano adeo negligenter curam eius gerebat, ut in deterius febris progredere-
 tur, non sine mortis periculo. Idem autem Franciscus factus Sacerdos retulit mihi postea quaedam particularia, quae Infirmarius eius ignorantia, erga ipsum egisset: ut vel tua compassione quadam ego mouerem. vnum tantum referam quod accidit, quo die potio purgatiua erat sumenda: (erat autem dies Sabbathi) Nouitius cum esset plane recens, & in pago educatus, oblitus est in separata olla pro aegroto cibos praeparare: quando autem dum pro more erat aegroto iusculum, accepit partem pulli, & iniecit in ollam communitatis, in qua, pro more gentis, coquebantur iuxta, & aliae res similes: ex quo iusculo attulit poculum ad aegrotum. Sed cum ille gustaret, indicauit expedire, non sumere. Post horam cibum illi attulit partem illam pulli incoctam, & instar ligni duram, plenamque pinguedine, quae supernatabat in olla, quando illam excepit: non potuit aegrotus nec bolum quidem deglutire, cum tamen ob magnam euacuationem & sudores, qui in fine paroxysmi exibant, erat valde

valde debilitatus : quare subsidio illo carebat, quod boni & periti Infirmarij in tali occasione præstare solent. nihilominus Franciscus nunquam est conquestus, nec signum aliquod impatientiæ dedit, nec verbum dicere volebat, donec aduertens periculum amittendæ vitæ, incidit illi scrupulus, an bona conscientia posset permittere, se mori potius, quàm verbum aliquod dicere. Nec audebat per seipsum ab hoc dubio se expedire : quare ipso die purgationis petijt, vt quidam Pater senex, valdeque spiritualis (Pater scilicet Gonzalus Gundifalicus, qui habebatur seuerus valde in se ipsum) ad se veniret : ita existimans, se talis viri responso & consilio fore tutum. Venienti ergo retulit sub secreto quod agebatur ; & proposito suo casu, interrogauit : vtrum esset maioris perfectionis : tacendo sinere se mori ; an Superioribus indicando præsentem necessitatem ; nam, se decreuisse, quod melius esset, eligere. O virum verè resignatum, & proprio amori mortuum ! siquidem, ne vel vnum imperfectionis punctum omitteret, decreuerat tantam molestiam ferre, & in ea quærenda vitam amittere : cum facillè potuisset occurrere, vel vno verbo rem Superiori proponendo. Audiuit prudens spiritus Magister propositum sibi dubium, & tanquam peritus medicus voluit probare, & promouere agrotantis patientiam : dixitque illi, vt taceret, seseque totum manibus Dei traderet ; nec vellet gloriosam adedè patiendi occasionem, quæ incogitanti euenisset, sine fructu prætermittere : his dictis, agrotum reliquit


Z Pater,

Pater, sed accessit mox ad Superiorē, retulitq̄ quid ageretur. Statim autē magna cū charitate ac celeritate subsidium ægrotanti allatum est, ita ut hinc Frānciscus fructum magnum acceperit ex eo, quod tacere decreuisset, contempto sui periculi timore; inde verò necessitati eius occursum, ob industriam boni medici. Et omnes aduertimus: in Collegio, vbi tanta erat charitas, & sollicitudo erga ægrotos, non potuisse talem incuriam aut negligentiam absque diuinæ Providentiæ consilio euenisse; sed ut magis se proderet heroica virtus ægrotantis.

PROFICIENTI Francisco his mortificationis exercitationibus Deus valde indulgebatur, eumque cælestibus suis donis multum ditabat, & nominatim in ordinarijs sacris communionibus in quibus eueniebant illi res valde extraordinariæ; quamobrem cū ætatis satis multum haberet; curarunt Superiores ut secundo suæ Theologiæ anno fieret Sacerdos, ipso valde repugnante. Nam, licet magnus affectus ad frequentio-rem communionem, permouere ipsum poterat ad talem statum suscipiendum; at dignitatis magnitudo humillimum virum valde deterrebat. Factus Sacerdos, cum sufficientem haberet Eruditionem, voluerunt Superiores, ut Dominicis, ac festis diebus Confessiones audiret: sed ipse ab eisdem petijt, ut hanc facultatem restringerent ad solos pauperes, mancipia, & plebem vilem. Quare ad hos tantū audiēdos se accōmodabat, & non ad alios: quod si quis altioris ordinis accederet, eum alteri Confessario commendabat: tantoq̄ fructu Officium hoc præstabat, ut poenitentes cum ma-

gno suo profectu ex pedibus eius discederent. Et cum extra Confessionem eos de rebus ad animam pertinentibus alloquebatur, id tanta cum humilitate, & humanitate faciebat, atque si æquè ipse abiectus esset, atque illi; quæ ut ipsi ita sibi persuaderent, diligentem dabat operam, ut sic ipse fructum hunc humiliationis non amitteret; illi verò alacriores essent ad agendum cum ipso. Etiam sese applicabat ad agendum cum famulis domesticis, nam à prandio illos accedebat, de quæ eorum officijs & occupationibus agere incipiebat, sed statim immiscebat sermonem de officio, quod bonus Christianus ut proprium & unicum debet reputare, sua scilicet salute: docebatq; eos Christianam doctrinam, ministrare Sacro: adeoque in modestia, externaque compositione, & frequentia Confessionis & Sacræ Communionis eos faciebat proficere; ut viderentur Religiosi.

STVDIIIS finitis, iuit ad tertium annum Probationis Villagartiam sub eodem P. Balthassare, ubi simul eam peregrimus: & ibi testis factus sum insignium eius virtutum, in quibus consuero suo feruore progressus semper est ad mortem, quam eodem anno ibidem obiit, ut suo loco dicetur.



Z 2

CAPVT